

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2022-2023
À rendre avant le mardi 20 septembre (casier au DSA, escalier A, 2^e étage)

Version latine n°1 : l'hydrocution d'Alexandre

333 av. J.-C. : lors de sa campagne contre Darius, dévastant tout sur son passage, Alexandre arrive en Cilicie (sud de l'actuelle Turquie), à Tarse.

Medium [urbem] Cydnus amnis, de quo paulo ante dictum est, interfluit ; et tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciae oram uapore solis accedit, et diei feruidissimum tempus esse cooperat. Puluere simul ac sudore perfusum regem inuitauit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret ; itaque, ueste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis leui ac parabili cultu corporis se esse contentum), descendit in flumen. Vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt ; pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus uitalis calor liquit. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo et paene iam luctus in castris erat. Flentes querebantur in tanto impetu cursuque rerum omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus erectum esse et extinctum : instare Dareum, uictorem antequam uidisset hostem ; sibi easdem terras, quas uictoria peragrassent, repetendas : omnia aut ipsos, aut hostes populatos. Per uistas solitudines, etiam si nemo insequi uelit, eentes fame atque inopia debellari posse. Quem signum daturum fugientibus ? Quem ausurum Alexandro succedere ? Iam ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum ? Rursus in ipsum regem misericordia uersa, illum florem iuuentae illam uim animi, eundem regem et commilitonem diuelli a se et abrumpi inmemores sui querebantur.

Quinte-Curce